



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Belgarum conuersio per S. Autbertum: & Scotos. Cap. VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

bitum vitæ monachicæ assumpsit in Stabuleto, vbi vixit ad annum usque sexcentesimum nonagesimum primum.

Successit in regimine diœcesis sanctus Theodardus, qui cum super iniustitijs, ecclesiæ suæ illatis, apud Chilericum Australiæ regem legaliter expostulare deliberaret, a filiis Belial, qui coram palatinis causam agi nolebant, in Alsatiæ usque cum insequentibus, est crudeliter martyrizatus. Cuius corpus euidentibus signis clarum, suo iure Lambertus repetit.

*Belgarum conuersio per S. Autbertum: & Scotos.*

C A P. VIII.

**C**ameraci per ea tempora clarebat sanctus Autbertus episcopus. Sub quo, & per quem, Hannonia in Christi cultu florere cœpit. *Hannoniæ.*

Tornaci siue Nouiomii clarebat sanctus Aicharius episcopus, cuius benedictione habita Amandus Gandensibus Christum annunciauit. *Gandenses.*

Et eo mortuo, anno sexcentesimo quadragesimo septimo, successit sanctus Eligius usque ad annum sexcentesimum sexagesimum, qui fuit Flandrensius & Antuerpiensis Apostolus. *Anw. rps.*

Multi etiam de Scotia, vel Hybernia, in Gal-  
lijs peregrinantes, verbum Dei seminabant mul-  
tumque fructum Deo faciebant, per Hannoniam,  
Brabantiam, Flandriam, & loca vicina. Primum *Brabantii.*  
sanctus Liuinus archiepiscopus, qui ex Scotia  
Gandavum venit, cum tribus discipulis, & inde  
prædicationis gratia profectus per Flandriæ &  
Brabantiae loca, innumeros ad fidem conuertit,  
& apud Escham gloriose martyrio est coronatus,  
anno sexcentesimo trigesimo tertio, cum Cra-

N n 4 phailde

phailde & Brixio. Deinde tres sanctissimi fratres Furseus, qui à Clodoueo honorificè suscepimus, Latiniacum cœnobium fundauit. Foillanus episcopus, martyrizatus anno sexcentesimo quinquagesimo quinto, qui dono S. Gertrudis Fossense monasterium fundauit, in quo quiescit, & Ultanus abbas Fossensis: item S. Fredegandus, sanctus Walsulphus episcopus, qui in Condato monasterio Domino usque ad obitum seruiuit: sanctus Etto Episcopus, qui apud Avesnas verbum Dei seminauit: sanctus Bertuinus episcopus, qui Maioniam cœnobium construxit apud Namurcum: sanctus Eloquins & alij.

Venerunt & aliunde aliquot prædicatores, ut S. Gislenus è Græcia: sanctus Landoaldus archipresbyter, è Roma.

### *Hæbaniæ Apostoli.*

C A P. IX.

**F**Veriunt & patrij prædicatores, inter quos celebriores, sanctus Trudo presbyter, qui monasterium exstruxit in Sarcinio, quod nunc est S. Trudonis oppidum, & maxima sedulitate circumvicinis euangelium prædicans, paganisnum nondum plenè repurgatum profligauit: sanctus Landelinus abbas Crispiniensis, quatuor cœnobiorum fundator: & S. Humbertus episcopus, fundator Maricolensis monasterij.

In territorio itaque Leodiensi claruerunt hoc tempore iam dicti episcopi, sanctus Amandus, martyr Theodardus, & S. Rémaclus, qui relicto episcopatu, abbas fuit Stabulensis in Arduenna: item sanctus Babolenus ipsius per resignationem successor; sanctus Mono, martyr, qui

Nassoniæ